

promictendum, sententiam et laudum et arbitrariam audiendum et ab ipsis et quibuslibet grauaminibus illatis et inferrendis appellandum et protestandum et appellatos comictendum et prosequendum, finem et quietationem faciendum, et generaliter ad omnem illam conuentionem et concordiam faciendum, prout eis melius uidebitur et placebit, promicentes se ratum, gratum et firmum habere perpetuo totum et quicquid per dictos syndicos et procuratores eorum concordatum, conuentum, obligatum et factum fuerit in predictis omnibus uel aliquo predictorum, sub hypotheca et obligatione omnium bonorum dicti communis presentium et futurorum, uolentesque etc.

## XXVI

1359, 15 luglio.

IV, III, 41/53.

(*Protocollo c. s.*): Die (15 luglio), loco, testibus et examinatore predictis. Crestolus Petri Papalis, tamquam syndicus communis et hominum ciuitatis Spalati, cum consensu et uoluntate iudicum et consilii generalis ibidem ad infrascripta specialiter congregati, fuit confessus et contentus fore eidem comuni integre solutum et satisfactum a Peruosclauo Johannis et a Damiano Marci, daciariis gabelle carnium becarie, de illis mille trecentis et LXX libris venetorum paruorum, quas dicti Peruoslauus et Damianus eidem comuni dare tenebantur pro dacio gabelle supradicte, de quibus dictus syndicus per se et suos heredes et successores fecit dictis Peruosclauo et Damiano, pro se et suis heredibus et successoribus recipientibus, finem, quietationem, remissionem et pactum de ulterius aliquid non petendo, volens quod omne instrumentum uel scriptura si qua apparerent de predictis sit capsula etc. Actum in palacio communis, presentibus Cutio Buchamaioris, Francisco Damiani et aliis de dicto consilio testibus, et Marino Laurencii examinatore.

Die (15 luglio), loco, testibus et examinatore predictis. Peruosclaus Johannis et Damianus Marci, daciarii gabelle carnium bechariarum communis Spaleti, fuerunt confessi et contenti esse debitores et uelle dare de denariis dacii dicte gabelle ser Theodosio Leonis libras septcentas et uiginti venetorum paruorum, quas dictus Theodosius habere debebat a comuni Spaleti pro certis emprestitis et pro certo thesauro sancti Dompnii, quod ipse Theodosius habebat a comuni Spaleti pignore et quod reddidit et restituit comuni predicto, quas septcentas et uiginti libras venetorum paruorum dicti Peruosclauus et Damianus per se et suos heredes et successores promiserunt dare et soluere ipsi ser Theodosio pro se et suis heredibus et successoribus recipienti, omni exceptione remota, integre cum effectu ad